

## [i] P. Petri Biardi Eulogium ac Vita.

**D**E Patre Petro Biardo qui tantam in Miffione Canadica inchoanda partem gessit hæc scribit Pater Jofephus Juvencius in sua Historiâ sub anno 1622.

“Ex omnibus qui hoc anno vivere in provincia Lugdunensi desierunt, luctu maximo elatus est Avenione P. PETRUS BIARDUS Gratianopolitanus. Religionis propagandæ studio navigaverat ad barbaros Canadenses, fueratque inter primos ejus terræ cultores, ut in quinta parte narratum est. Inde pulsus ab hæreticis Anglis, & redire in Galliam coactus, totum se impendit [ii] juvandis popularibus suis, quorum ut salutem confuleret, nihil sibi reliqui ad laborem diligentiamque faciebat. Ejus tamen industriam experti maxime sunt Parodienses in præfectura Carolitana, quam civitatem per usitata ordinis ministeria diu coluit. Novissime regionis præfectus Marchio Ragnius, jussus a rege copias in Campaniam ducere contra Ernestum Mansfeldium Galliæ finibus imminenti, Biardum sibi adsciverat comitem expeditionis, & sacrorum ministrum. Per eam occasionem nefcias, utrum spectata magis sit apostolici viri charitas, an patientia. Magna erat in castris inopia comeatuum. Diaria militibus præbebantur adeo maligne, ut nonnulli fame perirent. Biardus cibario, &